# AD QVODLIBETARIAM QVÆSTIO MEDICA MATVTINIS DISPVTATIONIBVS EXAMINANDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XV. IANVARII. IOANNE LE MOYNE, DOCTORE MEDICO, MODERATORE.

*An ab intemperie omnis imbecillitas?*

NON ALIVD FERE est temperies quam mistio, ſcilicet hæc miſtilium alteratorum vnio, illa verò ratio vnionis, Arabibus ſecundum interpretes complexio quæ iunioribus non ita recte explicatur quatuor primarum qualitatum diſcordium concordia, adhuc minus harmonia, abſurdiſſime quinta qualitas: Non tantum qualitatum notio, ſed & ſubſtantiæ illâ perſtringitur. Vt natura eſt: eademque baſis facultatum, ſpirituum, actionumque omnium ſeu perfectiorum ſeu imperfectiorum, prout in ſingulis ſe habet ad illam, quæ in genere media, reliquarum Canon eſt, quæque de notis ſuæ perfectionis concepta vt depicta veteribus, explodit eorundem commentum vt ſuperfluum de temperaturis & ad iuſtitiam & ad pondus.

VT ENIM VIRTVS eſt in ſubſtantia, & facultas in officio, ita illa temperies demum ſe prodit charactere, colore, mole, ſpecieque totius acceptabili, moribus animi, corporiſque functionibus: A prioribus autem forti quatuor congenitorum miſtione, firma ſubſtantiæ compage, caloris ac ſpirituum potenti dominatu, non vero elementaris alicuius qualitatis. Iſtis dotibus bene nati, cæteris antecellunt, maſculi fœmellis, ambobus non raro viragines, quibuſuis in tempeſtatibus εὐεκτοι, in ætatibus florentes: Nec tamen ad ſanitatem abſolutam hæc ſatis ſunt: magnitudo, numerus, figura, ſitus, connexio, vnitas requiruntur non partium tantum, ſed & ἄρθρων ſeu meatuum tam ſimilarium quam organicorum.

ITAQVE LICET cuiuſuis intemperaturæ debilitas eſt ſoboles, calidæ ἀκράτεια, effœminatio, νάρκωσις, frigidæ fatuitas, ἀπεψία, boulimus qui aliud nihil quam Lipothymia eſt, ſiccæ phthiſis: humidæ σῆψις ad quam omnis generis Cacoêthia pertinet, elephantica, virulenta, peſtilens: At corpus tamen tam ex ſimilaribus quam diſſimilaribus organicum, totidem debilitatis cauſis obnoxium eſt, & exiſtunt inde ſymptomata partibus & affectibus homogenea: Affectum totius in partibus voluerunt priſci philoſophi omnium in natura pathematum eſſe principium: Rarum ac denſum per medecinæ principem aliàs ſterilitatis aliàs impotentię cauſa ſunt: nec verò non ſimile quid ad vitam ex diſcrimine partium in toto contingit.

ERGO MVLTO magis vnitatis ſolutio, vt quę toto genere pręter naturam, quęque non magis eſt ſimilarium quam intemperies diſſimilarium, ſępe irreparabilis, aut reparata nihilominus relinquens monumenta ſui, videlicet virium primam ſortem irrecuperabilem. Iam vero ἀμετρία, quid non? hæc vel naturæ ἀποτυχία contingens, quanquam non eſt vlcus quare nec morbus, tamen actiones deprauat, ſępe abolet, etiam quas vt in capite ſeu magno ſeu paruo, φοξῷ aut στρογγύλῳ iure dubitare ſit an ſimpliciter aut potius tribuere deceat partium temperaturę quam conformationi, cum ſępius ab intemperatis meliores functiones edantur: nunquam aut raro à male conformatis.

EX ſymptomatis autem quotquot excretionum immoderatæ ſunt, aluinę, dyſenterię, hęmorragicæ, ſudorulentæ, hypercatharticę, ſimiliter & opera naturę ſupra numerum modumque repetita, fixam & ſtabilem debilitaté inurunt, tandemque tabem, lipothymias, ſyncopas, ἀδυναμίας, pigrum ad quodlibet opus procinctum, ægram operam & deprauatam. Quinimò per modum vacuationis nimis repentinæ (etiam rei præter naturam) exolutiones fiunt: haud ſecus ac à retentis (etſi in rerum natura inque ſuo genere elaboratiſſimis) πνιγμοὶ cordis palpitationes, ναυτίαι, fœdi colores: ſed ſupra vltraque omnia corpus ſemper infirmum reddit, ſpiritus deſtruit, humores corrumpit, extra ſe ægrum coniicit, dolor.

*Ergo non ab intemperie omnis imbecillitas.*

Propugnabat LVTETIÆ ALEXANDER Ponthieu Ambianus, anno Domini 1609.

## DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

| | | |
|---|---|---|
| *M. Ioannes Deſgorris.* | *M. Richardus Marcetz.* | *M. Petrus Paulmier.* |
| *M. Robertus le Secq.* | *M. Simon Bazin.* | *M. Iacobus Couſinot.* |
| *M. Simon le Tellier, Med. Reg.* | *M. Nicolaus Pietre.* | *M. Guillelmus de Baillou.* |

